



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Si Clericum in alia Dioecesi capi, vel, in ista captum, ad aliam Dioecesim  
deduci contingat. 27

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

tula, Patroni, & Archidiaconi ac Prælati, ipso facto, Ius suum amittant ea vice, & ad proximum Superiorem devolvatur. Examinatores vero & Archidiaconi, aliquem ex talibus scienter ad Ordines vel beneficia admittentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Item de filiabus, fororibus, & filiabus fororum & filiarum prædictarum, usque ad gradum prædictum, statuimus observandum, ut in Claustris vel Cœnobiis cujuscunque Ordinis nullatenus admittantur.

Idem etiam, quoad exclusionem hujusmodi, in filiis, filiabus, nepotibus & neptibus eorum, qui Ecclesias vel Monasteria incendierint, si per annum in excommunicatione, neglecta satisfactione, persistierint contumaciter, contra tales statuimus observandum.

**XXV. Ut feuda Ecclesiastica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem sustinuerint, ad Ecclesias revertantur.**

Feuda etiam, si qua prædicti sacrilegi ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis tenuerint, post lapsum anni, per quem excommunicationem sustinuerunt, ad Ecclesias & personas Ecclesiasticas libere revertantur; ita ut, si ipsi sacrilegi ultra se de hujusmodi feudis ingesserint, contra eos, tanquam invasores Bonorum Ecclesiæ, procedatur.

**XXVI. Mitigationes, pro fratribus & sororibus ac aliis personis factæ; si se voluerint intra annum Canonice expurgare.**

Volentes nihilominus, ut fratres & sorores, filii & filię fratrum & fororum, & alii, in linea collateralis gradus prædicti, qui sacrilegis & excommunicatis hujusmodi in suis maleficiis non assistunt nec adstiterunt, & ad ipsa maleficia opem vel operam aut favorem non impenderunt nec impendunt, sine culpa eorum aut sine causa non graventur ex maleficiis aliorum: statuimus, ut iidem fratres & sorores, filii & filię fratrum & fororum, & aliæ personæ linæ collateralis, pœnis prædictis, quoad exclusionem ab Ordinibus & Beneficiis & Prælaturis, hujusmodi non subjaceant, nec adstringantur eisdem, si intra eundem annum coram Nobis aut Capitulo & \* Prioribus Colonienfibus, se Canonice expurgaverint, quilibet quarta manu, quod prædictis sacrilegis in hujusmodi maleficiis consilio vel auxilio, ope vel opera, non adstiterint, & juramento corporali firmaverint quod eis ulterius non adstabant.

\* Prælatiis

**XXVII. Si Clericum in alia Diœcesi capi, vel, in ista captum, ad aliam Diœcesin deduci contingat.**

Statuimus item, si Clericum Colonienfis Civitatis aut Diœcesis in alia Diœcesi capi contingat, vel, in Nostra Civitate aut Diœcesi captum, ad aliam Diœcesin deduci vel transferri; quod per Capitulum & Priores Colonienfes, & alia Capitula, ad liberationem captivi, & ad procedendum contra sacrilegum illius Diœcesis qui in hoc culpabilis fuerit, apud loci Diœcesanum affectuose laboretur, prout visum fuerit expedire.

**XXVIII. Contra occisores & mutilatores Clericorum.**

De occisores & mutilatoribus Clericorum, & Clericos in captivitate usque ad mortem detinentibus, seu alios enormiter lædentibus; statuimus, ut per omnes Ecclesias Conventuales, Parochiales & Capellas Civitatis & Diœcesis Colonienfis, ipsi occisores & mutilatores, & omnes opem & operam seu consilium ad hoc adhibentes, singulis diebus Dominicis & Festivis, campanis pullatis & candelis extinctis, nominatim, quorum nomina sciuntur, alioqui in genere, excommunicati denuncientur, ab omnibus arctius evitandi, donec sufficienter satisfecerint, & à Sede Apostolica redierint absoluti.

Præterea, locus omnis, ad quem venerint, sit interdictus, quam diu ibi fuerint; & per sequens triduum, si ibi biberint vel comederint; & per septem sequentes dies, ubi eos pernoctare contigerit. Cæterum, si Nobiles fuerint, vel alii, terram & jurisdictionem vel districtum habentes, & intra tres menses à tempore perpetrati sceleris, ad arbitrium Nostrum aut Capituli & Priorum Colonienfium, non satisfecerint; terra eorum & districtus ex tunc sit ipso facto Ecclesiastico suppositus interdictus; & Feuda seu Officia vel \* possessiones, si quas habent ab Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, amittant, & ad Ecclesias, à quibus ea habuerint, revertantur; ita quod ipsorum sacrilegorum hæredes ad Feuda hujusmodi, vel ad aliqua alia ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis descendencia, nunquam in perpetuum admittantur. De quibus, si ultra se ingesserint, contra eos procedatur tanquam contra bonorum Ecclesiarum invasores, prout superius est expressum. Et hoc etiam in aliis personis, quæ non sunt Nobiles, Feuda habentibus, volumus observari.

Præterea, si domini terræ, in quorum districtibus manent vel domicilium habent, vel ubi tam enorme scelus commissum extiterit, tam nefarios, sacrilegos, & nefandos, in suis districtibus sustinuerint, & contra eos ad bonorum

\* possessiones

Cap. 21.